

~~EX BIBLIOTH.~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-15.

SIGNAT. c1515 CCCXIII.

Differet. theor. Vol. 35

einzeln verzeichnet 4. III. 1915



67

70.

אָבָרְרָה

i.e.

De

PRÆCONIO JOSEPHIÆ
GYPTIACO

AD GEN. XLI. comm. 43.

EXERCITATIO PHILOLOGICA.

Quam,

PRÆSIDE

M. FRIDERICO VICCIO, SIL.

P.C. & Facult. Philos. Adjunct.

*publicæ eruditorum discussione
exponit*

FRANCISCUS JOACHIMUS BURMEISTERUS

Lüneburg, P.L.C.

In Auditor. Min. add. 31. Januar. A.E. Ch. cIs Lc LVII.

VVITTEBERGÆ
TYPIS JOHANNIS HAKEN.

V I R I S
Amplissimis, Excellentissimis, Celeberrimisq;
DN. AUGUSTO BUCHNERO,

*Eloquentiae ac Poëseos in illustri Leucorea P.P.
famigeratissimo, Academiæque Univer-
sæ Seniori venerando:*

nec non
DN. ANDREÆ SENNERTO,
Orientalium lingvarum P.P. clarissimo:

*Dn. Præceptoribus, Patronis, ac Promotoribus omni-
obseruantia cultu aeternum prosequendis*

*Tumultus hoc filologum
sacrum esse voluit*
RESPONDENS.

IN NOMINE JESU!

Quod non impotens extremæ Asiæ populus, Sinenses, ex alto arrogantiq; supercilio suis unicè, cæteris mundi gentibus, vel parum Eorum vel nihil concedentes, adsignarunt, gloriose effutientes: Se solos à maximè providâ Naturâ duos accepisse oculos, Europæos unum, & quod hominum reliquū est, Tiresiax instar cæcutire: Ista ut arbitror, jure meliore illis, qui Lingvarum necessariarū copiâ instructi benè, ut facultatibus, quæ superiores vocantur, & illis tanquam fundamentis innituntur, inserviant harum beneficio, competet. Namq; verum de hisce illud Poëtæ Græci est: Διπλοῦν ὄφωσιν οἱ μαθόντες γράμματα. Quod ut pateat magis in animum induxi quæstionum non inelegantium dyada in hujus disputationis capite & movere & solvere. Prima ex illis erit: *utrum detrimento Theologiae studio Grammaticæ Græcae, Ebrææ ars sit?* Altera v. quæ post tractabitur, de Philologia, & Philosophia disceptabit, quæque futuro Theologo plus conferat utilitatis succinctè enarrabit. Pestem Theologiax, fugiendam sangvine viperino cautius Grammaticam esse, quidam nomine Dullardus defendere olim gavisus est. Hic, testante Ludov. Vive, Clarissimo Viro, in de causis corruptarum artium l. IIIdi p. 77. non semel dixisse fertur: *Quanto melior eris Grammaticus, tanto pejor Dialecticus & Theologus.* Ignoscendum quidem, sunt Vivis Verba, Inscitiae Viri est, castiganda tamen est arrogantia indocta. Hæc inde sors Grammaticæ est, ut cum maximam facultatibus opè præstet, atq; hoc nomine maximè necessaria sit, lateat in obscuro. Sed Impedimento Dialecticæ esse Grammaticam quô probabitur fundamento? Grammatica vim nominum, & potestatē verborum sola subministrat, quâ præviâ ad rei naturam feliciter indagandam non raro adspiramus. Nomina πεγμάτων ἀμοιώματα sunt. At undenam quid valeant ea hauries nisi ex Grammatica? Cum igitur non nisi per voces res cognoscantur, expressæ nomine non ambiguo & alieno; sed & proprio & germano, allucinabitur omnino in rerum perquisitione, qui vo-

Cum proprietates cum ignarissimis novit. Porro contrariæ na-
turae ista studiorum genera non sunt, ut ita in uno hospitium
accipere homine haud possint. Cæterū dictū, theologiæ Gram-
maticam remoras struere non potest non improbari. Invertenda
rectius Verba Dullardi sunt, dicendumq; cum Magno illo Phi-
lologo & Theologo D. Glassio: Quanto melior Grammaticus
eris, tanto felicior eris Theologus. Ebrææ quippe Lingvæ &
græcæ notitia vagina illa sacra est, in quâ gladius Spiritus S. re-
conditus; est aurea illa cista, in quâ κειμήλιον nobile Verbi de-
positum servatur: est penuarium, in quo cibus salutis, docen-
te μεγαλοφωνοτάτῳ Luthero, custoditur. Ipsa Ecclesia grammati-
ca esse debet, ut docet B. Chemnitius, quod amissæ grammaticā
parior Verbi doctrina sit amissa. Horrenda deinde magis Dullar-
di sententiâ illa alicujus Monachi fuit, qui perhibente Conr.
Heeresbachio Jcto, in de laudibus literarum græcarum, novā
dixit esse repertam lingvam, que vocetur græca, à quâ sedulō cavē-
dum, cum omnes pariat hæreses. Eâ lingvâ, sic pergit, proditus liber
est, & dicitur Novum Testamentum, qui plenus rubetis & viperis.
Tandem subjecit, quod summa cum indignatione audimus, aliam
adhuc oriri lingvam Ebræam, quam qui discant, Judei efficiantur.
Omnium pessimi, fratres illi Ignorantiæ sunt, quibus Inscitiae
Siren nulla est ad exitium dulcis; sed vita beata & summa Æter-
nitatis gloria, quod illō confirmant vulgatæ Ps. 71. 15. Quoniam
non cognovi literaturam, introibo in potentiam Domini. Proh,
quantum pectora mortalia noctis habent! Plutarcho & Svetoni-
o testib⁹, Julius Cæsar aliquando à Piratis captus iis carmina
& orationes dixit. Si qui non admirabantur Ea inertes & bar-
baros nuncupavit, frequenter quoq; per jocum se suspensurū
illos minabatur. Non aliós pati manes deberent, quibus Lin-
guæ sordent, neq; admirantur illa Linguarum Beneficia. Per-
tractatâ primâ, alteram quoq; paulo difficultiorem, pluresq;
fautores & Patronos habentem exponendam sumimus. Quod
ut rectè fiat, sciendum principiò est, nos præripere laudem
nullam velle Philosophiæ. Agnoscimus & fatemur libenter,
Philosophiam multum conferre opis & operæ Theologo excel-
lenti. Explicat & declarat illa termincs, refutat fundamenta

ab

ab hostibus allata rationis ductum imitantia, & vel falsa illa
prostis esse, vel in suo loco vera, ostendit atq; demonstrat. Vi-
de prolixè hāc de re differentem Cl. Theologum D. Danhavve-
rum in Hermeneut. Sacr. p. 101. seqq. Calculum adjicit suum nō
in celebris Amama, in Eruditissima Oratione de Barbarie f.
Rursus, ait, ne ita vobis lingvarum studia commendari putetis, quasi
ea sole utramq; in aeternitate Theologica paginam faciant. Sobrie
etiam philosophandum est, & utiliores Philosophiae partes descendae
sunt. Imprimis v. Logice, divinæ isti iudicij Lima, & Ingeniorum
coti litandum est. Nullam esse inter hæc studia auctoritate, nul-
las Inimicitias præclara Ingenia suo Exemplo docent. Damus igit
honoratum Philosophiae locum, at primum & summū ei
concedere vix possumus. Quemadmodum v. per Philosophos
non habitum vel pallium cœratamq; ambitionem, neq; per
Philosophiam otiosas parumque frugiferas quæstiones, qui-
bus Scholasticorum scripta plenissima sunt, vide de nugis hi-
scæ differentem Senec. l. 1. Ep. 45. 48. 88. ita neque per Philolo-
giā, ut Asini ad nostras Lyras censent, monstroforum voca-
bulorum congeriem, reconditorumq; verborum factores pū-
blicæ sermonis formæ displices, ampullas & verba sesqui-
pedalia improbata, nisi joci ergo inserantur, qualia apud Plau-
tum leges, Pers. IV. 6. 20. intelligimus. Neq; hīc illam Gram-
maticam nimium scrupulosam, ac effrenem, aliorumque me-
diorum ad Interpretationem facientium fastidiosam contem-
tricem commendamus; sed illam quæ famulam se esse novit,
neque suo iudicio unico standum esse arbitratur. Nomine e.
Philologiæ, in præsenti quidem discursu, venit nobis solida
Græcæ, Ebrææ, aliarumque necessariarum Theologo Lingva-
rum cognitio. Neque n. nos later Cl. Viros ad Philologiam re-
ferre, Grammaticam, Rheticam, Dialecticam, Historicam,
(quæ de re in Dissertatione peculiari aliqua dabimus,) at nos
illa omnia h. l. in voce Philologiæ, quæ in quæstione nostra est,
non comprehensa volumus. Præterea triplicis generis The-
ologi sunt. Nuncupantur alii Homiletici, & hisce satis est, si
linguas noverint, ad partes officii sui obeundas, etiamsi Philo-
sophiæ studiis non adeo addicti sint. Agnovit idem Luthe-

rus tom. 2. Jenens. Germ. fol. 231. Ich weiß fürwar / inquit, daß
wer die Heil. Schrifft Predigen sol/ und hat nicht Hülffe aus Latei-
nischer/Griechischer/und Ebreischer Sprache / der wird manchein
schönen Feilgriff thun. Denn Ich erfahre / wie die Sprachen über
die massen helfen zum lauen Verstand Götlicher Schrifft . Alii
deinde Hermeutici sunt , & isti vices explebunt , incognitâ
etiam Philosophiâ. Dn. Danhayverus Philologiam simplicicer
necessariâ interpretationi dicit , et lo àv eivs ad majorem expedientiam
atq; decus philosophiam illi commendat. V. Hermen. Sacr. p. 101.
& Eruditissi. Glassius in orat. de Ling. Ebr. Util. & necess. Operi
annexa Philol. p. 364. Αποτολυμένας Εγο, inquit, andacter & con-
stanter afferam sine literaturae Sanctae cognitione ad solidam Scri-
piuræ Interpretationem perveniri nequaquam posse. Neque The-
mistocles Regem Persarum linguæ Persicæ notitiam non ha-
bens, intellexit: neque illi Deum, qui Ebrææ & græcæ Lingua-
rum gnari haud sunt. Pedibus in nostram transit sententiam
Argus ille omnis Eruditionis oculatissimus Erasmus In Adagg.
operis ampliss. illius Philologiæ campi Chil. Iæ. Cent. IX. ad 55.
p. 311. m. Illatis manibus & profanis pedibus, inquit, saera tangunt,
qui divinas literas interpretari conantur , Græcæ, Latinae, &
Ebraicæ Linguæ, deniq; & omnis antiquitatis rudes & imperiti , sine
quibus non stultum modo , verum etiam impium est Theologie my-
steria tractanda suscipere. Quod tamen, heu nefas, jam passim ple-
riq; faciunt, qui frigidis aliquot instructi syllogismis. & puerilibus so-
phismatis, Deum Immortalem , quid non audent? quid non præci-
piunt? quid non decernunt? Qui si possent cernere, quos risus, vel
potius quem dolorem Lingvarum & Antiquitatis peritis moveant,
quæ portenta proferant, in quam pudendos Errores subinde prola-
bantur: nimirum puderet illos tantæ temeritatis, & vel Senes ad
prima Literarum Elementa redirent. Multi rectè judicant absq;
Dialecticæ præceptis, ut ne dicam sophisticis cavillis. Sapiebant
mortales & priusq; nam Deus ipsorum Aristoteles nasceretur. Pro-
inde D. Hieronymus cum constituisset arcanas interpretari literas,
ne illoris, ut ajunt , pedibus rem tantam aggredetur: queso num
sophisticis nugis instruxit Ingenium ? Num Aristotelicis decretis?
Minime. Quid igitur ? Inestimabili sudore , trium Linguarum pe-
ritiam

ritiam sibi comparavit. *Quas qui ignorat, non Theologus est; sed
sacrae Theologie violator.* Simillima hiscè, & maximè gemina
Sixtini verba sunt quæ in Parænesi habet p. 213. A. B. Reapse, in-
quit, multi Ministri nunc experuntur, questiones plerasq; , quib.
tantum temporis in multis Academiis insumitur, aut nullum, aut
omnino exiguum in Ministerio usum habere. Certè Picus Miran-
dula, teste Erasmo, & summi Theologi deplorarunt, se tot annos
Scholasticae Theologie impendiſſe. Et quid sibi vult ingenua illa
Ludovici Vivis confessio: quæ in juventute elato supercilie credebā-
esse thesauros in Philosophiâ, jam conversus & senex video vix ster-
cora esse, & tantum remoras vita pie, & studiorum necessariorum
fuisse. Alii tandem ex Theologis sunt Elenchtici, qui omnino
Philosophiæ operam navare habent, quò arietaria adversario-
rum tela feliciter profligent, & doctrinam nostram servent illi-
batam. Interea tamen & istis uberiora confert commoda Lite-
rarum Scientia, dū ſæpe distinctionū philosophicarum fumis
dubiorum nodi non solvantur; sed involvatur magis, quod ex-
plicandum est. At visâ radice, & collatis fontibus expeditur
difficultas non raro quam felicissimè. Exemplis res animanda
est. Legimus Gen. 2. 2. *וַיְכֹל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְׁבִיעִי מִלְאָכְתָּו*. Et complevit Deus in die septimo omne opus suum, ut
reddidit vulgata. Inde rectè argumentatur Drusius: Si com-
plevit fecit opus. Nam completio operis est opus. Si fecit. Er-
go non quievit per illum diem. Ut igitur iste nodus solvatur,
varias excogitarunt Interpretes Distinctiunculas; Cajetanus
quidem: inter actionem positivam, & negativam, discrimen
ponit, & dicit, compleuisse agendo negativè. Sed quæ illa a-
ctio negativa? Idem habet Sixtus Senensis l. 5. Biblioth. ann.
23. Quod Moses dixit, Deum in septimo die compleuisse ces-
sando, LXX. dixerunt, Deum in sexto die compleuisse absolvē-
do. Sed quid est complendo cessare? Nulla dum nostra exple-
mus munia, quies & cessatio est, sed demum postea sequitur.
Cornel. à Lapide, complevit, dicit, die septimo exclusivè, at
die sexto inclusivè. Sed durum non abs re videtur Amamæ,
ut dies ille, quò aliquid factum dicitur, exclusivè sumatur. Ly-
ra inter perfectionem, quâ aliquid assequitur formam debitâ:

& Eam, quâ exit aliquid in operationem sibi debitam distingueverat amat. Sed argutæ illæ omnes magis sunt quam solidæ responsiones. Non diverticula querere hîc habes, neq; loco diei septimi cum τοῖς LXX. sextum ponere, vox ipsa **וַיְכָרַת** spectetur, & notetur verbum præteritum apud Ebraeos modo pro præsenti, modo pro futuro, modo pro Plusquam perfecto usurpari. Reddatur ergo, & induat potestatem, quam plusquamperfectum habet, & solitus apprime nodus est. Neque ad sensum idem sonant hæ Orationes: Compleverat Deus die septimo opus suum & complevit Deus die septimo opus suū, ut Amama putat, p. 307. B. A. Si n. compleverat, inquit, die 7mo, quando complevit, queso Te, nisi die 7mo? Sensus prorsus aliis in primâ & aliis in secunda est. Ut n. dicitur, Deus compleverat, innuitur Deum præcedenti tempore id exegisse, nō idem significatur in altera oratione. V. Glass. I. 3. tract. 3. can. 3. p. 236. & can. 46. p. 368. Ex N. quoq; F. inter innumera unum tantum proponere luet. Scil. Joh. I. 3. legitur: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Hinc Manichæi extruxerunt, Nihil i. e. res corruptibiles non esse à verbo; sed ab altero principio contrario. Augustinus dein super Johannem philosophatur (NIHIL) posse peccatum aut malitiam intelligi, qvæ quat. est defectus, non est à D E O. Sed hæ disputationes omnes de nihilo præciduntur inspecto Textu, ubi non scriptum est οὐδὲ; sed οὐδὲ ἕν ut sensus sit, nihil excipi, & nullam rem esse quæ sine verbo facta sit. Ita neglectio vel ignorantia fontium varias de nihilo dedit Disputationes, quæ conspectis fontibus unico verbo profligari possunt. V. omnino B. Chemnit. in Harmon. Evang. c. I. pag. m. 40. Irem per plura alia Exempla, nisi brevitatis studiū me retraheret. Duplex porrò divinæ veritati opposita acies Adversariorum est. Prima extra Ecclesiæ pomæria constituta est, & illam Judaica turba constituit. Guj. Errores refutare non potest qui Ebrææ Linguae gnarus non est. Neque est, ut N. T. dictis ipsam aggredi velis: Totum n. illud, quantum quantum est, non nisi falsum & heterodoxon. ipsi se est. Non est ut convenire velis eandem versionum beneficio quas nostri elaborarunt, nec illas cassâ nuce dignas æstiant:

mant: Neq; tandem Aristotelis Syllogismos curant. Testem
laudo Cl. Schick. in Bech. Happ. c.5.p.m.101. Nostrum certe ar-
gumentandi genus. inquit, & Aristotelicos Syllogismos minus curat,
quam Elephantus, quod ajunt, Culicem: At una Cabalistica rati-
ocinatio pluris apud ipsos estimatur, quam universus apodicticarum
demonstrationum apparatus. Si alteram forte aggredimur aci-
em quæ limites Ecclesiæ non transilit, in qua variæ phalanges
hostium sunt, non minus utilem conferet operam Lingvarum
Scientia. Prosternes feliciter ex animi voto agmina Papæ.
quæ quo volunt, sacras detorquent literas, instar Sutorum,
qui sordidas pelles dentibus extendunt suis, subsidiis lingua-
rū si instructus viscera sacri textūs inspexeris. Patebit inde Gen.
III.v.15. non Mariā sed Messiā indigitatum à Spiritu S. ibi esse. Et
Calvinianorum dogmata solidè refelles lingvarum supellecti-
le vadatus. Apparebit statim falsam illā Piscatoris Versionē esse
vertentis illud Gen. III. 4 Es ist nicht gewiss/dass Ihr sterben wer-
det / i. e. ut explicat in notis: Es mag seyn/ oder nicht/ doch ist es
nicht gewiss/dass Ihr sterben werdet. Quā de re Buxtorfius, Dil-
herrus, Danhavverus, Excellentiss. Dn. Sennertus in Gramm.
suæ l.2.p.179. aliique pluribus laborant. Denique ad fidem cō-
firmandam non iuvant Philosophorum Argumenta. Secundo
adhiberi possunt loco, & illustrationis ergo, non ut caput ex-
tollant; sed ut famulas subeant partes. Sola verò Scriptura
sufficit ad illius robur; ubi non parum, sed plurimum, Lin-
gvarum, in quibus illa conscripta est, cognitio nobis succen-
turiatæ fert opis. Porro quod prærogativæ fastigium toti phi-
losophiæ denegatur, quomodo Scholasticis, ut aliqui volunt &
statuunt conveniet scriptis? Et illis, quæ non ex limpidis Isra-
elis fontibus, sed ex turbidis Patrū & conciliorū lacunis hausta
sunt. In quibus submissis fascibus Aristoteli imperiū delatum.
Quorum in æmū barbariæ æmū posita est. Legis in illis, quo-
modo simplicitatem fidei in curiositatem disputandi conver-
tere amarint, ita ut si quid adhuc creperæ lucis superfuit, den-
siore nocte sepelierint, quæstiones novas, inutiles, & profanas
ex cogitando. Hoc motus Vives Theologiam Scholasticam,
non artes tantum bonas; sed & ipsam Theologiam peremisse

B

afte-

rit non sine fundamentis. De istorum Scriptis confer plur.
Excell. Theol. Dn. D. Calov. Praeceptorem & Patronum nostrū
Summum in System. Theol. tom. i. p. 75. 76. & in Epist. dedic. ad
Isag. Theol. Verū dū norunt Illi, in ruinam prona esse, quæ
sine fundamento creverunt, varia suæ sententiæ pro Philosophiæ
primatū obtinendo posuerunt, quæ demolienda à nobis
sunt. Afferunt non vocum doctrinam Theologiam esse; sed
rerum. Et rerum notitiam antestare illi quæ verborum est.
Quod per se tale est, inquiunt, nobilius illo multum est quod
beneficio alterius bonum appellatur. Sed vario habito respe-
ctu & nobilissima, rerum peritia dici potest, & negari. Philo-
sophiam Theoreticam antecellere miris modis Practicam, si se-
dem illis, si istud quod tractat spectas non infieiamur, at si
de utilitate sermo erit primas præripet Practica Theoreticæ
Philosophiæ. Ita si concesserim Rerum peritiam dignorem
esse illâ quæ vocum est, non tamen tam facile dabo, ita utilem
illam quoque esse futuro Theologo, quam hæc verborum est.
Tantum enim in rebus cœlestibus ac divinis sciens, quantum
ex vocum phrasiumque, quibus Spiritui S. mysteria regni cœ-
lorum proponere placuit, fœcundissimis significatis, & signifi-
cantissimis idiotismis eruere possumus. Reætissimè, ut cætera
omnia exprimit, ista Consummatissimus Theologus D. Calov.
in Præf. Isagog. Non ullius bili, inquit, ratiuncta illa est, quod
qui rerum Scientiam adamat, multum temporis & laboris imper-
dere vocabulis haud debeat. Quicquid n. sacræ impenditur Gram-
maticæ, id omne conductit ad rerum Scientiam in hoc studiorum sa-
crorum genere; cum Theologia nostra magnam partem Grammati-
cas sit &c. Insuper Versionum Catone contenti ut simus ju-
bent. Sed sciant nos h. l. de Theologo futuro loqui cuius offici-
um vel maximè est non in versionum hætere vestibulo & a-
trio; sed ipsum quoque Sanctorum Sanctum, & Dei loquentis
adyta penetrare, & attendere quid in suo Idiomate Deus ve-
lit & loquatur. At Versionem qui videt, non actutum Auto-
ris capit mentem; sed vertentis atque commentantis & sèpif-
simè in errorum diverticula abducitur. Namque contingit
humana Ingenia, ut Varro ait, cespitare. Quare dissensu sub-
orto

orto inter Interpretes quis amabo , amabilem *ovis mixtæ* intercedere inter illos ostendet , vel , quæ præferenda versio cæteris sit edocebit , præter illum cui cognita Lingua est ? V.Cl.Glass.in laud. Orat. p.370. Deinde ogganiunt Hieronymum , Originemque Ebraicarum literarum fuisse scientissimos , & tamen gravissimos errasse errores , nec semel à Veritatis tramite abiisse. Ergo adhuc versiones præferendas fōtib⁹ esſic. Pri⁹ hic nō negabim⁹. Sola n. Linguarū cognitio advers⁹ omnes errores sufficiēs antidotū haud est. Neq; ullus nostratiū unquā istius sententiæ fuit , quod Grammatica sola & unica atq; absolutissima ars sit explicādi sēsa Scripturæ , absq; aliorū organorū apparatu , quod cōtra Gretserū pluribus ediscerit Dn. Danhavv. d.l.p.iiij. Immo præterquā quod aliis quoque opus sit adminiculis , augusta nimis res est , & nulli mortalium concessa nunquam errare. Omnia quippe habere memoriam , & in nullo penitus errare mortalitatis non est ; sed Divinitatis. Originem verò errasse sèpius mirum non est , cum illum literæ sensum non observaverit. Posterius quod inde deducunt improbamus. Neque versiones Ignorantiæ slabra nostræ esse debent , & diligentia Doctorum , nostræ negligentia patrocinium. Versionibus etiam positis adhuc fontium necessitas magna est , ut certiores reddamur fontes idem dicere , quod versiones habent , ut subortis controversiis , quæ nostra sententia sit procliviter dicere , & firmiter defendere queamus. V. D.Franz.de Interp.Script.p.37. Verba Cedro digna sunt qvæ Martin.in Technol.præfat. habet : *Dicis te duci Versionum beneficio , quas non corriges . Cui ergo bono Oculi Lingvarum ? At erue Tibi & corporis oculos . Quidni & hisce carere potes . Neq; enim deerit , qui ducat Te . At fluctuabis semper , ubi illæ dissident , & ita compendia Tua disp̄endia erunt .* Hæc ille. Q. Ennius tria corda sese habere dicebat , quod loqui osc̄e , græce , & latinè sciret , uti Gellius refert l.N.A.XVII. c. 17. Contra vecordes maximè illi sunt , qui rationem reddere rerum debent , & nesciunt linguae Idioma , quod illarum nota & tessera quasi quædam est. Vacillant semper , neque cum Curtio corpore ; sed animo vagantes è lintre loqvuntur. Pendent & trepidant , ut mus , qvod Comicus ait , ad parietem. Curriculi motus rotarumque ver-

sata facies Leones redigit in caveam, Elephantos porcina
vox terret, non aliter Linguae imperitos illius sonus afficit. In-
de illa odia Lingvarum, & contemptus, quos bile tumens je-
cur dictitat. Inde defendendæ Ignorantiæ ergo ex Philautias
studio multa asserunt quandoque, quæ ne cogitassent quidem
si veritati fuisse velificandum. Sed similes isti Pueris sunt, qui
si ceciderunt, terram verberare volunt, nesciuntque cui ira-
scantur, irascuntur tamen & sine causâ, & sine injuriâ. Instant
postea, Patres sine Lingvarum notitiâ præstitisse plurima. Ve-
rum etiam Erroribus scatent illorum volumina non paucis.
Nomen יהוה scribebant græcis literis quidâ ex Patribus Η̄ΩΗ̄,
rati τὸ Η̄, Græcorum Η̄, v. & ipsum Ιω̄ν esse. Ita Ignoranta
lingue Ebrææ iterum ac sèpius B. Augustino, principi alias
sanctæ Eruditionis miras peperit explicationes. De Adami no-
mine ita tract. IX. in Joh. disserit: Quis nesciat, inquit, quod de
Adamo exortæ sunt omnes gentes? & in Ejus Vocabulo quatuor
literis, quatuor orbis terrarum partes demonstrantur? Si n. græcè
dicantur, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, in capitibus Ver-
borum invenis Adam. Dicuntur a. græcè Αὐτολη̄ν, Δύσης, Αρκτο̄ς,
Μεσημβριᾱ. Sed Ebræa vox אֶרְאָם est, & tribus scribitur modo lite-
ris. Confer quæ habet in hujus Controversiæ felicissima dis-
cussione Dn. D. Calovius dictis supra locis. Tandem garri-
unt Philologiam ineptam quæstionum proponere farraginem,
disquirere, quod Urim, & Thummim indicarit, quæ Aaronis vestes
&c. At reponimus: Deus ista dixit de quib⁹ occupata est. Vide-
at igitur ne blasphemiae notâ incurvant. Scriptura, S. Tota, nul-
la Ejus vel minimâ parte exceptâ. Singuli sermones, ait Hiero-
nymus in Ep. ad Ephes. syllabæ, apices & puncta in divinis Scri-
pturis plena sunt sensibus. Si in mundo non raro unica vox
non rectè fatis percepta damnum parit irreparabile, quidni
id etiam accidat in unicâ Scripturæ Sacræ voce perperam
percepta? Rectè etiam hâc de re Chrysostomus homil. in
Priscillian. & Aquilam pr. Nihil omnino, inquit, in sacris
supervacaneum. Nonne didicistis & Inscriptiones & nomina dili-
genter in S. Scripturis excutienda? Ego sane studiosos arbitror ne
laturos quidem, ut verbum aliquod in S. literis præsereat, eti-
amſe

am si tantum nomina recenseantur, vel tempus numeretur. In S.
Scriptura que videntur parva, sunt magna. Danh.d.l.p.13-14. Vi-
deant, ne Scripturam qs. Lyra eslet, Bacchanalibus suis adhi-
beant, & inexpiabili scelere in jocos convertant, ipsumque ita
autorem ludibrio habeant. Huc facit non illepida Rabbino-
rum prosopopoëia, ubi piâ & ingeniosâ πλάσει in scenam Co-
dicem sacrum sacco amictum introducunt de contumeliis,
qvas inter illusores sustinet, acerbè apud Deum conqueren-
tem. Et hæc hactenus de nostris quæstionibus. Res ipsa quidē
tam prolixam non desideravit enumerationem, postulavit ta-
men Eandem irruens barbarorum ætas, cui omni conatu, ne
Veteres repeat sedes, & migrare nostros jubeat Incolas, re-
sistendum est. Nunc, quod felix faustumquesit, τοῦ אָבָרְךָ ex-
positionem dabimus capitibus inludentes tribus, qvod de
eo proponere animo sedet.

CAPUT IUM.

Cimbrica τοῦ Abrech expositio. Gorpii lusus refellitur. Ægypti-
acam esse vocem negatur. Ægyptiaca Lingua ignota. Hodierna
confusa est. Dictiones peregrinæ in S. Codice. Quid ἐντομφανίχ?
Nominum Impositio Dignitatis superioris argumentum. Mutatio
Nominum Papalis. Η in Ν. apud Chaldaeos εἰμιτάλαντος. Mosis
Nomen unde?

I. Primam certaminum facem hinc Goropius Becanus ac-
cedit, Cimbricæ Linguæ deferens, quod jure haud illi debe-
tur. Cornicula risum movet, ubi, ut Poëta loquitur, grex
Avium plumas repetitum venerit olim. Et ista Goropii sen-
tentia, imitata illam, risum vix oppositionem meretur, ut Li-
psius ait l.3. Epist. ad Belgg. 44. Ita grata ἀνθεῖα ὑμῶν νεωτέρων.
Miramur alias exotica, quibus domi meliora suppetunt, Go-
ropius vero domestica cæteris omnibus terræ bonis antistare
arbitratur, quæritque thesauros, ubi nunquam aliqui fuerunt.
Sed ostendere tamen allaborat vestigia atque imagines super-
esse antiquitatis Cimbricæ lingvæ, quam demonstrandam sū-
fit. Origines vocum Ebraicarum ex suâ Lingua petit, & ita pri-
mas obtainere partes eandem firmiter demonstrare cōtēdit. Plu-
res inter alias tales, similem quoque אָבָרְךָ nominis ratio-

nem imponit. Cimbrica est, dicit. Germāni n. inferiores ur-
bis primatē Obrecht / qui jura tueatur, appellare amant. Nō
hic inficiamur summum inter suos Josephum fuisse virum, ad
cujus nutum omnia & instituebantur & componebantur Æ-
gyptiorum negotia ; attamen illud hāc describi voce negare
non dubitamus. Quare quemadmodum alias licentiosa Ety-
mologorum prurigo laudis parum habet, ita nec hic Goropii
lusus quid commendationis meretur. Enim vero vocum a-
licuius Linguae origo ex aliis Linguarum peregrinarum rivulis
haud recte deducitur. Inde satis ineptæ sunt, & ex ignorantia
Lingvarum non raro nascuntur, quæ apud Varronem, è Latini-
nis omnia verba in feliciter trahentem, Isidorum, P. Lombardum,
& similes nonnunquam occurunt. Non ex patro pe-
rita solo Paschatis originatio est, quam à gr. πάχω deduxerūt.
Incommoda quoque illa quæ Diabolum à duobus bolis nomē
acepisse sentit. V. Scal. L. L. c. 29. Nihil aliud de Goropii Etymis
& olim & hodiè sentiunt Eruditi. Recte de Illis Scaliger : Nun-
quam legi majores nugas, nunquam insigniorem temeritatem vidi,
neq; audivi, ut qui omnes lingvas à sua barbarā deducere velit, a-
deo ut ipsam Ebræam posteriorem Cimbricā afferat. Plus ergo ibi
vanitatis quam veritatis est, plus stolidi, quam solidi. Neq; n-
modio, vel trimodio, sed pœne horreo ipso maximas nobis ineptias
admetitur, ut ait Cl. Becanus in de Origg. L. L. Manuduct. p. 22.
p. 139. Vid. Dissert. nostras in Cap. Gen. xi. c. 1. n. 24.

II. Alteram hōc in capite disceptantium aciem Eruditissima concio instruit, quæ vocem אֶבְרַי Ägyptiacam esse plu-
ribus confirmare satagit. Nempe Josephū Ägyptiorum, quibus
patria m̄do lingua nota, cultui observantissimo devotum fu-
isse, tradunt, & sentiunt. Tela Illorū prævidebim⁹ aliqua, ne no-
ceant projēcta multum. Quare primò non hīc negabimus va-
riarum Lingvarum voces & phrases, immo capita in Sacris
occurrere scriptis. Chaldaica certe & Syriaca Spiritum S. in-
feruisse Ebræo codici non dubitandum est. Quod factum esse
putant κατὰ μίμησιν, observante Junio, l. 2. Gramm. Ebr.: c. 9. &
in notis ad Zachar. Ludificantur, inquit, Prophetæ interdū gē-
tes ex ipsorū Linguis venustatis ergo &c. Factū id materiax intui-
tu,

tu, dū ad Syros, Chaldæos verba data: & tādē propter cognationem Lingvarum quā illæ cum Ebræa habent. Nec Arabica omnia ex sacris exulant Pandeëtis. Non referam Scripturæ voices, quarum origo hodiè non ex aliâ, quam Arabica rectè potest peti Lingvâ, istud modo ex constanti Philologorum iudicio testari placet, & puras putas arabicas voces in JOBI libro esse legendas. Rei causam hancce ponunt, quod Arabiæ Incola, & Arabum Theologus Jobus fuerit. Quod neque Hieronymus diffitetur in Præfat. ad h. librum. Testimonia plurima suggerit Cl. Hotting. in Thesaur. Philol. l. 2. sect. 3. p. 506. 07. Vid. etiam Amplissimi Dn. D. Calovii Crit. Sacr. de Lingg. Orient. V. T. p. p. 320. Immo fluenta Spiritus S. & Ægyptiaca verba secum vñhunt. Talia ex communi Eruditorum suffragio sunt, quæ leguntur de nostro Josepho: Gen. 41. 45. צפנת פענח quæ Chaldæus reddit: גברא רמתמן גلون לירזה Vir cui secreta revelantur, ut prima vox cum אברæorum, quod abscondit notat, cognationem habeat. Josephius per Κρυπτῶν ἐνεργῶν, Theodot: Τῶν ἀπογέντων ἐρμηνεύεται. Luth. einen Geheimen Rath exprimunt. L X X. vero legunt ψομτομφανής. Idem apud Hotting. in Exercit. AntiMor. p. 47. Athanasius Kircherius docet in prodromo suo Coptic. qui ex hodiernâ, non vetere illa declarat verba ista: Falluntur omnes, inquit, qui illud צפנת פענח aliud quam Ægyptiacum esse afferunt. Quod & Rabbi ni omnes concedunt. Dicimus itaque צפנת פענח idem esse quod Ægyptiacum seu Copticum ΨΟΤΟΝ ΠΑΝΗΚ vel ΨΟΝΤΟΜ ΠΑΝΗΚ, quorum prius in Ægyptiaca Lingvâ futura, alterum vatem significat. Hoc a. ita esse docet Pentateuchus Copticus, qui ab injuriâ temporum vindicatus, summo Reip. literariæ bono, hodiè in Bibliothecâ Vaticana asservatur, ubi ΨΟΝΤΟΜ ΠΑΝΗΚ pro Ebræo צפנת פענח legitur, &c. Neq; nos dissétimus sed Josepho Ægyptiacū proEbræo datū hic esse nō mē cōcedimus. Sic n. in more positū erat olim Mūdi Monarchis imponere nomina subjectis, quod signū Majestatis quæ penes ipsos erat, fuit. Nebucadnezar captivos è stemmate regio oriūdos alio vocavit nomine. Dan. 1. v. 7. Et Pharao Neco Rex Ægypti nomen Eliakimi Regis Judæ immutavit, Eundemque Jojaki-

mum.

mum nuncupavit. Consuetudinis hujus Simiae Papicola sunt, qui Papam quem creant alio nomine salutant. Eleganter de ista novâ nominum, impositione Polydor. Virgil. l. 4. c. 10. p. m. 295. Primus honor Romano Pontifici habetur, ut si minus pulchro honestetur nomine ei statim creato liceat illud mutare. Verbi gratia, non extra iustum dictum sit, si homo maleficus ante a forte fuerit, ut Bonifacius adpelletur: si timidus, Leo: si rusticus Urbanus: si improbus, Innocentius: si ferox, Clemens: si male audierit Benedictus, ut saltim nomine Pontifex ornamento sit dignitati. Ejus a. rei Autor fuisse dicitur Sergius IIIdus, cui, cum O S Porci diceretur ad obscenam nominis vocem tollendam datum est, ut aliud sibi nomen optaret. Ita Clerico cuig, nova dant nomina. De quo non inconcinnè B. Lutherus citante B. Finckio in Syll. qq. Illustr. q. 93. p. 606. Siehe unser Exempel an im Bapstium / wie da so eine grosse Thorheit gewesen die Mahmen zu verendern derjenigen / die dem Bapst einen Eid geschworen hatten seine Sazung zu halten. Ich bin in der Tauffe Martinus genent worden / darnach im Kloster Augustinus. Was könnte doch schändlichers und Ungottlicher geschehen/ als daß man den Tauffnahmen verwirft umb der Rappen willen. Also schemen sich die Bäbste/dß sie mit ihren rechten Mahmen sollen genent werden / die sie in der Tauff frigt haben. Und sie sind zwar dessen auch nicht werth/dß sie den Tauffnahmen behalten sollen/darumb kriegen sie andere Mahmen. Denn sie von Christo und der Tauffe abgefallen/etc. Hiscejam positis omnibus & procliviter concessis ipsa Contrariantium opinio, & fundamenta illam fulcientia videnda sunt. & quid reponi debat adjiciendum. Ægyptiacā istā esse vocem illud Philologorum præclarum αὐχημα Crinesius in Exerc. Ebr. 2. q. 2. his probat verbis: *Verior longe nobis, inquit, videtur illorum sententia, qui dictionem hanc אֶבְרֹא pro pure Ægyptiacā in faustissimis acclamacionibus usualem omnibus promiscue terre illius inquinis, ex verbo h. l. multitudinis in numero וַיּוּקְרָא agnoscunt, consonamq, eandem censem Ebraeorum בָּרוּךְ . Fuit igitur hoc nomen in Josepho indicina dignitatis, prout alterum צְפָנָת פָּעַנְתָּ erat officii. Studiosissime igitur Spiritus S. reitante inter Ægyptios gestae, Ægyptiacarum etiam appellationum memoriam ad posteritatem seram cōsecra-*

secreare voluit. Succinit Mercerus in Com. in Gen. n. 43. p. 657. Ägyptiaca potius videtur ut aliae nonnullae in sequentibus, licet ad fontem Ebraicū reduci queat בָּרְךָ. Subscribit & isti Rivetus in Exerc. 159. pag. 607. Abrech, inquit, fuit Vox apud Ägyptios usitata in publicis acclamationibus, quemadmodum inter nos hoc tempore vox Vivat. Nec valde inclino ut credam iussum fuisse populum, ut trans eunte Josepho genua flecteret; et si nunc id Roma fiat, cum Pontifex Rom. vehitur. Tunc n. Apparitores quidam clamant: Abasso, Abasso, & eodem tempore, si quis tardius genua flectat in loco in commodo, etiam si lutosus sit, hastili vibrato, tibias feriunt cunctatorum. Et idem Forsterus noster in Lex. p. 117. אַבְרָהָם et si vox sit peregrina, ideoq; varie ab Interpretibus exposita, tamen videtur Ägyptiis idem significare, quod בָּרוּךְ, & esse acclamationem benè omniantis. Οὐότηνος illis Drusius est Qq. Ebraic. 1.2. q. 71. p. 123. Ego, si mihi sententiae ius dicende concederetur, censerem esse verbum Ägyptiacum. Id vel hanc ratione nititur, quod in principio habeat literam נ cuius prothesis propria & familiaris illi Linguae est. Alii Ägyptios Praconem clamantem non intellexisse autumant si Ebræo idiomate satis ignotofensa mentis explicasset. Ita proscribitur ex Ebræorum terra τὸ Abrech. Barbara & peregrina, non Ebræa & patria vox ipsis est. Sed, quid in incertis quarimus locis apud exterios, quod Cives largissime conferunt? Et hīc δικαιοί ελέγουσιν. Ceterum Ägyptiaca illa lingua, quā tum temporis usi sunt, ignorissima nobis hodiē est. Quomodo igitur ignota explicabinius, quomodo potestatē vocis quæ nos latet, dabimus? Ignoti nulla cupido, nulla explicatio est. Ignotam v. illam esse testatur sapiens Ab. Esra: אֱמֶת וְהַמִּלְחָמָה מִצְרִיָּה לֹא יַדְעֵנוּ פִּרְשָׁתָה: Si dictio hæc est Ägyptiaca, non novimus Ejus Explicationem. Vetus igitur incognita est, nova Ägyptiorum Lingua planè aliena est, & confusissima, neq; apta ad rationes talium verborum dandas. Ex quā igitur petetur? Non diffitetur idem Isaac. Casaubonus ep. 315. hodierna Ägyptiorum lingua è græcâ & vetere Ägyptiorum est cōflata, ut puris putis vocabulis græcis multa sint mixta, quæ neq; ἑλληνικοὶ sapiunt, neq; ullam omnino earum lingvarum, quæ sunt ab Ebræa derivatae. Hotting. d. supra loco hæc de illâ inserit: Ägypti-

C

gypti-

gyptica Lingua prorsus & vocibus & formationibus vocum ab Ebraeis sicut à πασῶν distat. Nam ut ex copioso satis Lexico Copto-Arabico M. S. colligere est, vix duo triaq; extant verba purè Ägyptica, quæ vel aliquaratione cum Ebræis convenient. At nostrū אֶבְרֶך & ratione vocis, & formationis cum Ebrææ Linguæ Grammaticâ, optimâ ratione convenient, ut paulo post ostendetur. Ergo Ägyptica non est. Porrò, quam rigidè urgent נ & ה permutationem, Ägyptiisque esse propriam clamant firmiter τὸ κρινόμενον stabilire inficiamus. Namque primò, literæ unius Organi sunt, facilè permutabiles. Deinde & non semel permutatas illas in V. T. testes laudo Clarissimos Philologos. Vid. omnino Amplissimus Dn. Sennertus, Epicharmus & Mecœnas noster honorandus in Chaldaismo pag. 48. Neque aliud docet Mayerus in Phil. Sacr. prodrom. p. 121. part. 1. Ni fallor, inquit, illa literarum permutatio convenientius ex lingua propinquiori, Chaldeâ nimurum peti potest. Et consentit Immortale illud Lingvarum Decus Buxtorf. in Thesauro l. I. c. 17. p. m. 133. f. & p. 136. Adformam Chaldaicam habent, inquit, נ loco ה sic שָׁבֵן mane surgendo, pro שָׁבֵן Jer. 25. 3: legitur. & in Lexic. Rad. בְּרֵך p. 90, exēpla similia habes inquit, Es. 63. 3. שָׁבֵן וְאַדְרָכֶם Neq; séper & ubiq; res gestas inter varias gentes, illis propriis verbis cōscribi curavit Deus. Ita ipsa quoque Eductio Israelitarum Ägyptiis vocibus conscripta legi hodiè deberet, & varii illi sermones, quos Moses cum Pharaone habuit. Neque absurdum dicere est, plurimos ex Ägyptiis Ebræam quoque calluisse Lingvam. Ita Interpretem qui procul dubio Ägyptius fuit, Josephus ad exploranda fratum desideria adhibuit. Ridiculum tamen videtur Calvinus in h. l. dicere Ägyptium Regem jussisse proclaimari vocem Ebræā. At non est ut rideat dum etiā Moses à Pharaonis filiā nomen ebræum accepit. Derivatur n. illud à נ. מִשְׁנָה quod significat extraxit. Neque adstipulamur Athan. Kircherio in Prodr. Coptico, qui Nomen Moysis, ab Ägyptiaco μωυ aquâ deducit. Qui Nomen Mosis, ab Ebræa voce מִשְׁנָה deducunt, inquit, graviter errant. Nomen namq; ait, non à parentibus, nec ab alio aliquo ex Ebraorum gente; sed ab ipsâ Pharaonis filiâ, quæ

cum præter vernaculam nullam aliam haberet lingvam, certum indicium inventum Puerum vocasse Moysen ab Aquâ. Sed de quâ multa Kircher. vix antiquæ Ægyptiacæ lingvæ nomen meretur. Ipsum quoq; Mosis nomé à sacra dedit litera. Ergo ne & illa errabit? Ita ipsa Exod. 2. 10. **משה ותאמר** שָׁמֹן מִשְׁתַּחַתּוֹ: Neq; aliquam cum cognationem nomen Moses habet. Quod si igitur Mosi nomen Ebræum in AEgypto datum, qvid fluet absurdum si dicatur hâc lingvâ & Præcones hic usus fuisse? Tandem si poneremus cum Amamâ A. B. p. 431. Certo certius esse, AEgyptiacam (scil. veterem,) Punicam, Arabicam cæterasque orientales, Ebrææ matris dialectos esse, admodumque affines, nondum tamen, quod volunt Antagonistæ, obtinerent. Népe & sic concedere cogerentur Radicē huj^o vocis Ebræâ esse, quâvis vocis formatio Ægyptica sit. Et ita rejectæ haec ten^o Illorū opiniones sūt, qui barbarā vel Cimbricam vel AEgyptiacam hancce vocem **אֶבְרֶךְ** esse crediderunt.

CAP. II.

Explicatio rōu **אֶבְרֶךְ** Targumica Onkelosi, Jonathanis. Josephus Regis fuit Pater. Consiliarii partes corporis Regii. Patres Romanorum. Quo honore apud Persas affecti? **רָךְ** Vox latina est. Targumista multa peregrina verbæ suis scriptis inseruerunt. Lutheri versio: Er ist des Landes Vater perpenditur. Lutheri versio non authentica? Refutatur Amama. **רָךְ אֶבְרֶךְ** non est ex Juvenes etiam ad Politicam unia evehendi sunt. Allegoria Rabbinica rejicitur. **אֶבְרֶךְ** Doctorem, **בֵּן**, Discipulum notat. **אֶבְרֶךְ** non notat Regem novum.

I. Aliam jam ingredior viam datus novos nostri vocabuli Interpretes dirimentes illud præter omnem rei necessitatem. Qui tamen iterum non in eadem sunt navi. Ingens n. discriben inter illos est. Onkelos in Targū ita reddit: **וְאֶבְרִיו קְדוּמָהִי**: Ita Jonathā exprimit: **רַיִן אָבָא לְמִלְכָא**. Targum Hierosolymitanum ita vertit, citante Cl. Mayero, in Prod. Ph. Sacr. p. 118. **וְיְחִי אָבָיו רַיִן-אָבָא לְמִלְכָא**. Vivat pater regis. Vocem Abrech ergo dirimunt, ac **רָךְ** quidem ex Dialecto Syrâ regem hîc notare arbitrantur. Docet id R. Sa-

Salomon ad h. l. רַךְ in Lingvā Aramæa est
Rex, sicut dictum fuit de Herode, ut Raschi statim subjicit :
לֹא
רוּכָה וְלֹא בֶּן רוּכָה i. e. Non rex fuit neq; Regis filius. V. Ma-
jer. d. l. p. 119. Talm. Baba bathra c. 1. fol. 41. Glossa.
לְאִם לְרֻולָה **טָאוּ רַיכָה** **בֵּן מֶלֶךְ** Gemara, Quid est Recha, i. e.
Regnum sive Rex Regno præfectus. V. Cl. Buxtort. in Lex.
Chald. Thalm. Rabbini. Rad. **רַךְ** pag. 2255. & in Thes. Gramm.
c. XVII. l. i. p. m. 137. De hâc sententia notandum principiò i-
terum est, quâm sâpe in sacro codice occurrere nomina pro-
pria ex אֶבֶן composita. Qualia **אֶבֶן אֶבֶן**.
אֶבֶן־אֶבֶן idem esse putant ratione formalis atque signi-
ficationis cum nostro **אֶבֶן** in sensu expositionis Targumi-
cæ. Concedimus porro **אֶבֶן** & Patris nomen jure summo
deferri Josepho. Sic in sacris etiam Viri prudentes Regniqe
Custodes non semel nuncupantur. Ita ipse Josephus Patris
Regii nomen sibi vendicat Gen. XLV. v. 8. Et Rex Hiramius vi-
rum illum sapientem quem Salomoni mittit, Patrem suum ap-
pellat 2. Par. 2. 13. :
שְׁלֹחַתִי אִישׁ־חָכָם יוֹדֵעַ בֵּיןָה לְחוֹרָם אֲבִי :
i. e. Misisti Tibi Hiram quem Patris ad instar amo, ut ita Regi Sa-
lomoni ostendat quantum ipsi gratificari velit. V. Cl. Fesel. in
Adv. Sacr. l. 4. c. 17. Merebatur etiam eandem nominis superbi-
am provida Josephi de Rep. AEgyptiaca cura prudentissima
juxta atq; felicissima, immo Consilia non immatura. Ita Con-
siliarios suos, viros illustres qui Consistoriis & Senatu intere-
rant, qualem spartam quoq; hîc Josephus sustinuit, Arcadius &
Honorius partes corporis Imperatorum nuncuparunt. Salva-
n. diu Resp. & ejus Caput ipse Princeps haud esse potest Con-
siliariis prudentibus non integris. Neq; salubriter Principatū
administrat, qui Consilia Prudentum à se spernit. Illa ad be-
atitudinem Imperii faciunt plurimum, ut Theodosius & Va-
lentinianus Impp. quâm prudentissimè judicarunt. Hinc Re-
ges Persarū Cōsiliarios suos splēdidissimo nomine οφθαλμούς
καὶ ὄτα appellabant. Quâ de re elegans locus apud Suidam no-
tandus venit : οφθαλμὸς βασιλέως, inquit, ἀντὶ τοῦ μέγα δινάρου
παρὰ βασιλεῖ, οἷς δὲ ἐκάλουν τοὺς Σατράπας, δι' ὧν πάντα ἐ-
στιλεὺς ἐπισκοπῆ : οὐ καὶ βασιλέως ὄτα τοὺς ὀτακούσας, δι' ὧν ἀ-

χόντρη

κόνει τὰ περιττούμενα ἵνασ φαντάχου. Ita Populi Judaici Primates Patres dicti uti patet ex Act. VII. 2. Αὐδῆς Ἀδελφοὶ καὶ πατέρες. Quam loquendis rationē dehinc Romani imitati sunt. Credit Patres Romulus Livio teste l.i.c. 8.f. Centū crear inquit, Senatores, sive, quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui creari Patres possent. Patres certè ab honore, Patriciq; progenies eorum appellati. V. Gruter. in h.l. Annot. pag. 10. Confirmat idem Flor. l.i.c. i. Consilium inquit, Reip. penes senes erat, qui ex autoritate Patres, ob etatem Senatus vocabantur. Deinde Patrum numerus augebatur ubi aliam faciem iste Reip. status nanciscetur. V. Liv. l. 2.c. 1. f. Dicti hi etiam Patres Patriæ sunt. Sic Cic. apud Juven. sat. 8. v. 244.

Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit. Quod nomen & Imperatoribus deinde datum est. Ita Julius Cæsar, auctore Floro l.4.c.2. cognomen patris Patriæ recepit. Conf. Sveton. n. 76. & 85. in Ejusd. Vit. Val. Max. l.2.c. i. n. 9. Partem alterā nostræ vocis sive τὸ Rech quod attinet, ex quo τὸ אָבָרְךָ compositum illi ajunt, notandum est, illud vocabulum latinum esse. Sentit ita nobiscum Cl. Schindl. in Lex. p. 1733. Probatur quidem ex Ebræis esse apud Buxtorf. in Lex. Thalm. d. l. ex 2. Sam. 3.39. וְאַנְכִי הַיּוֹם דֶּרֶךְ מֶשֶׁיחַ מֶלֶךְ. At reponitur Rach nō Rech ibidem legi. Illud Ebræum est, non hoc. Alterū quod probationis loco ponit Buxtorfius petitum à nostro אָבָרְךָ, κενάμενον est, ut de hoc adhuc sub judice lis sit. Nec infrequens in Targumim latinarum vocum concursus sit. Declarat id prolixè Cl. Mayerus in Phil. Sacr. p. 1. p. 245. Quemadmodum Judei, inquit, sub Imperio Græcorum multis Hellenismis & lingvam & mores patrios infuscarunt: itacum Romano jugo colla subdere cogerentur, variis corruptelis non tantum ipsorum politia; sed & Lingua interum infecta & deformata est, praesertim Herodis M. tempore, qui peregrinis Inventionibus veterem statum apud Iudeos corrumperebat. & p. 249. Lingv. t. 2. Judaica majores contraxit sordes, quod testantur vocabula illa latina, que Ebræa civitate donata sunt, quarum non paucanobis tabulae N. T. exhibent. Vid. seqq. pagg. Jam Onkelos Christo Κύριε ερωτε fuit ostendente Cl. Schick. בְּ pag. 25. Jonathanem vero Simeonis Justi illius, qui ab Evangelistâ Christum Infantulum ulnis suscepisse memoratur, Con-

discipulum fuisse dicunt alii cum Cl. Schickard. disp. 2. p. 26.
Istos v. omnes per τὸν Ἀρχὴν Regē sive מלך intellexisse ex Versione
Eorum, quam supra adduximus, appareat. Ita n. Onkelos &
Jonathan: דָיוֹן אֲבָא לְמֶלֶכָא. Non itaq; negandum illo Tar-
gumistarum tempore ipsum רַגֵּן Regem notasse. Num vero e-
andem potestatem tempore Pharaonis, in quo latinarē linguā
cognitio nulla, habuerit, valde dubitamus. Neq; aliis in Lin-
gvis orientalibus simile, quod Regem significet, occurrit. In
omnibus fermè מלך legitur, ut inquirenti haud obscure lexica
demonstrabunt. Rectissimè ergo Abrah. de Balmis in Gram.
Ebræā d. 4. b. lin. 10. illud R. Salomonis dictum paulò aliter qvā
supra recensere potuimus ex Mayero, refert: *Indicium rei est*,
inquit, quod dixerunt nostri Magistri in Nedarim, et tulit illud
R. Salomon in ejus expositione super legem versu: וְ vocaverunt
אָבָל מֶלֶךְ שָׁכֵן בְּלֹשׁוֹן רֹומי קּוֹרָאים לְמֶלֶךְ רַגֵּן. Pater Regis,
quia sic in Lingua Romana, (quod alias communiter legitur vo-
cant Regē. Idē defendit Grimesius in Exerc. 2. q. 2. pag. 19. Alii
ut Talmudici, inquit, ex אָבָה pater וְ רַבָּא vel רַבָּא quod illis, for-
fan ex consuetudine cum Latinis Regem significat deducunt.

II. Huic sententiæ simillima illa B. Lutheri est, quæ quam-
vis ratione rei Josepho non inconveniens sit, potestatem ta-
men Vocis non exhaustit. Ita quamvis magno in pretio a-
pud nos ex debito versio illa Lutheri, quæ etiam melior nulla,
attestantibus ipsis nostræ doctrinæ hostibus, habeatur, non
tamen authenticum scriptum illam esse dicimus, neq; statui-
mus eidem ubique esse subscriendum. Notamus id omnino,
contra Sixtinum Amamam, qui non semel Lutheranos hujus
nomine perstringit in AntiB. suo Biblico: *Versionem B. Luthe-
ri, inquit in Eruditissima de Barbarie Oratione, qui non magni-
estimeat, nam indignissimus est, qui in ullo estimatio sit. Noluit ta-
men ipse plus ei deferri, quam Hieronymus sue. Et uno ore Dd. E-
vangelici semper professi sunt, nullam omnino versionem Ecclesie,*
cen authenticam obtrudendam esse, nullam recipiendam, nisi qua-
tenus cum originali textu convenit. Posuerunt tamen nonnulli Dio-
trephes, pedes suos in ipsissima Pontificiorum vestigia, tributumq;
sive versioni Lutheri camferè autoritatem, quam Pontificii sue

Lati-

Latine transcribunt. Et paulò post: Hinc videoas vix ulli A. C.
Theologo eam hodie esse fiduciam, ut vel in scriptis vel Lectionibus
vel Concionibus, Lutheri versionem redarguat, nisi cum longa adu-
latoria & germano pectore indigne protestationis ambage. V. Eun-
dem etiam d. l. p. 577. De eādem materiā vid. felix ille S. Lite-
rarum Interpres, Acad. Rostochiensis, Sol, oriens & ocellus, ex
Judicio Amamæ, B. Tarnovius in Apologia p. 506. & p. 361.
Exercit. Bibl. Et præsentem quidem locū quod spectat non ad-
paret quō pactō אָבָרְךָ patrem Patriæ s. Regionis dicat. Neque
אָבָרְךָ & אָרְצָה æquipollentia stant, unum idemq; significantia.
Quare in Comment. in Genes. p. 617. nostram recenset opini-
onem, nec rejicit illam. Alii, inquit, à verbo בָּרֶךְ Abrech de-
ducunt i.e. benedicere sive genua flectere, sed cum litera נ videatur
repugnare, dicunt נ loco ה possum esse, quæ permutatio Literarum
Ebræis usitata est. &c. Dicendum e. B. Lutherum maluisse Tar-
gumim sequi in voce illâ reddenda, quemadmodum alias τούς
LXX. secutus est.

III. Hieronymus ex אָבָרְךָ & Rach quod tenerū notat
mollemq; derivat, qs. præco dixerit: Videte tenerum Patrem.
Mihi videtur, inquit, non tam præco sive ad geniculatio, quæ in sa-
lutando vel adorando Joseph accipit potest intelligenda, quam id quod
Ebræi tradunt, dicentes patrem tenerum ex hoc sermone transferri.
אָבָרְךָ quippe dicitur Pater, רָחֵל tener, significante Scriptura, quod
juxta prudentiam quidem Pater omnium fuerit; sed juxta etatem
tenerrimus. Adolescens & puer. V. Eundem in qq. Gen. f. 223. Sic
à prudentiâ Josephū Juvenē adhuc, commendat ille. Ascende-
re enim etiam illi fastigia Reip. possunt qui mente, non men-
to canescunt, animo haud capillo. Neq; semper prudentissimi
depontani senes sunt, qui ipsi quandoque veteres Pueri Comi-
co audiunt. Scriptura talem vocitat בָּנָן מִתְהָרָה שְׁנָה.
Plurimi tempestivi honorum culminibus sunt, quod maturi
virtutibus fucrint. præcurrunt non raro aliqui præcoce Ingenio
instructi, Lepidi in morem, ætatis stabilimentum fortiter fa-
ciendi celeritate nec in feliciter ante annos curamque ge-
runt, animumque virilem, Per Exempla irem, & concallu-
iſe Juvenum animos in rebus gerendis sæpè ostenderem si fo-

pus

pus permitteret. Ne in aliena igitur dilabar castra ad Hieronymi versionem redeo. Hic neque rem neque verbum acu quod dicitur, tetigit. Ex Ephebis Josephus jam dudum exceserat, non ignarus quid distent æra lupinis. Trigesimum n. annum, ut Interpretes consentiunt, vivendo attigerat. Non itaque Puer, tenervè fuit. Deinde Abrech non Abrach legimus. Legitamen ita deberet si tenera Josephi ætas hâc voce foret indica ta. Immo in Lingvâ Ebræâ si propria excipientur nomina, quale אָבְרָך ipsi consentientibus Interpretationis Patronis, haud eit, vix voces reperies compositas. Omnes ferè simplices sunt. Præivere quidem Hieronymo Targumistæ h. m. idem verbum reddentes, ut R. Jonath. qui utramque רֹאֵך significationem conjunxit; Et Autor Hierosolymitanæ: At alii eandem quoque vertendi rationem perversio nem esse dicere non veritisunt. Ita Jarchi docet: Per modum allegoriae exposuit R. Jehuda, Abrech est Joseph, quia ipse fuit Pater Sapientia, & tener annis. Dixit ei R. Jose, Filius Dormaskith, Quousq; pervertis Scripturam. Abrech nihil aliud significat quam ingenulatione. Quippe genua appellantur. V. Cl. Mayer. d.l. & Drusius in quæst.d.l.superius, qui hancce opinionem ab omnib; ferè explasm nuncupat. Non dissentit Lutherus in h.l.p. 617. Alii duas faciunt voces, Ab i.e. Pater רֹאֵך tener. Istam Cabbalicā inquit, Grammaticam odi. Qui v. cum Hieronymo hancce רֹאֵך Abrech etymologiam dant, אָב per Magistrum & Doctorem hic explicant. Quam etiam non paucis in Scripturæ locis potestatem vox ista habet. Quare אָבִי אָבִי per Targū explicat. Scilicet Ebræis in more positum fuit Magistros & Doctores Juventutis nuncupare patres. Quemadmodum prophetarum Discipuli filii dicuntur 2. Reg. 6.1, quod in Targum ita redditur: וְאָמַרְוּ תַלְמִידֵי נָבִיא: Hinc hodienum Rabbinos suos Judæi appellant. Quemadmodū & nos Ecclesiæ primitivæ Doctores patres nuncupamus, non tam ætatis quam doctrinæ rationem habentes, quam ad nos relictis Ingeniorū & diligentia monumentis propagarunt. Iosepho quoque illud Magistrorum munus Ps. 105.22. tribuitur, ut dicitur de Eo,
quod

quod obstrinxerit legum vinculis, ad interpretationem Tarnovii in Exercit. p. 400. suos. Neque etiam in casu obliquo exponna vox רַא est, q.d. Abrech notare Magistrum teneri sc. Regis. Contextus n. id satis ostendit, Regem nucibus relicitis, t. t. sapientia & prudentia, quæ ordinarii virilis etatis comites sunt, instructum insigniter fuisse.

IV. Nondum finis sententiarum dividentium id vocis est. Lekach Tof, ut citat Mayerus רַא נָבָרְךָ novum significasle Regem perhibet. Neq; raro olim אֲבוֹת dicebantur, qui ad clavum Reip. sedebant. Sic apud Ebræos Machir dicitur Pater Gilead Jos. 17.1. non quia Gileatidi nomen imposuit; sed quia illi imperavit. Conf. Jud. 6. v. II. & Jud. 9. v. 28. cum Gen. 34. 2. Hoc nomen & Regibus Romanis, ut modo supra audivimus. imponebatur. Illustræ Exemplum Svetonius in Vit. Augusti n. 58. dat. Quod bonum, Val. Messala ibidem inquit, faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste, Senatus te consentiens cum Populo Romano consulutat Patrem Patriæ. Inde apud Politicos Societas Paterna Regia dicitur, non quidē quod talis sit, sed quod illi quam simillima sit. Porro Rach dum tenerum & molle notet, illud vero plerumque novum, ita & hinc tale significare quid posset. Et sic extra compositionem dicere Ab & Rach regem novum non negamus. Sed quando queritur, num in compositione & præprimis hoc loco id vocabulum idem valeat dicatque Regem jam modo creatum tunc aliud à nobis reponendum erit? Probabile non est hocce in nostro involvi verbo. Reclamat etiam Sacer Codex, quippe qui asserit, Pharaonem quidem ad summos evexisse honores Josephum, servato tamen unicè sibi regio honore & sceptro. Ergo si tale Regis nomen Iosepho adsignatum fuisset, morem Regi Præco non gessisset, neque Josephus, qui fando ejusmodi præcepto Regio contraria verba percepisset, immo ipse Princeps vix æquo animo audivisset. Illa n: Natura Monarcharum est, quam Pompeji Symbolum ostendit:

'Αὶς δεῖστειν καὶ ὑπείρχον ἐμπενας ἀλλων, & Alexandri M. Exemplum atque Darii Codomanni, quorum ille ad Legatos hujus apud Curt. I. IV. §. XI. ita respondet: *Si secundus & non par*

D

mihi

mihi vellet haberifaceremforsan quæ petit. Ceterum nec mundus duobus Solibus potest regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere &c. Ita fontes dubiorum æquivocæ voces fuerunt, in quas hæc unica אָבָרְךָ divisa haetenus fuit. אָבָרְךָ n. modo Patrem, modo Consiliarium, modo Magistrum, modo Regem, & Rech nunc tenerum, nunc Regem, nunc novum dixit, & ita statim hæc statim alia hujus vocis profecta Explicatio est. Qui omnes harum sententiarum Autores & propugnatores haetenus vim dictioni misere intulerunt, divellentes unam vocem præter omnem necessitatem.

C A P. III.

Examinat τὸ Κύρυξ hic à LXX. Interpretibus posatum. Versio illorum in infinitis locis corrupta. Ab. Esræ sententia, qua אָבָרְךָ primam futuri conjugationis Hiphil eſe dicit, rejicitur Buxtorfi qui per Infinitum, aliorumq; qui per Imperativum reddunt, probatur. Non notat Benedic. Ritus τοῦ γονυπετεῖν. Genu Dei Misericordie devota corporis pars.

I. Tandem examinata prius LXX. Interpretum hujus loci versione nostram adjicere habebimus sententiam. Illa talis est: Καὶ ἐκῆρυξεν ἔμπορον ἀυτοῦ Κύρυξ. Et clamavit ante ipsum præco. Varias hujus Versionis explicationes subministrant Eruditi. Alii omisſe plane vocem אָבָרְךָ non improbabiliter statuant. Ita Rivet. d. supra loco: LXX. vocis illius interpretationem omiserunt tanquam peregrinæ, nisi quod videntur eam accepisse pro Pracone. Cl. Theologus D. Friedlib in Theologia Exegetica ad h. l. p. 107. putat autumasſe illos, id πατανισμὸν gentilium dicere, & ita omisſe. Alii τὸ אָבָרְךָ per Κύρυξ reddidisse τοὺς LXX. arbitrantur. Cujus sententia Mercerus est. ita Cl. Schindlerus in Rad. בָּרֶךְ p. 247. LXX. inquit, Κύρυξ præco, acceperunt pro nomine præconem significante. Tandem aliis aliud placet edifferere. Defendunt, neque voculas easdem neque consonantes, quas habet nostra vox, legisse Interpretes. Afferunt ב formam τοῦ ב ipſis repræsentasse, quemadmodum non semel idem ferme literarum ductus, ipſis imposuit. ita Eccl. 5. 16. pro לְאַכְלָה comedet LXX. habent כְּנִתְבָּה & in luctu, legunt igitur לְאַבְלָה ob literarum וַיִּשְׂתַּחֲוו כ & ב similitudinem. Ita Eccles. 8. 10. pro לְאַבְלָה LXX. legerunt וַיִּשְׂתַּחֲוו & reddunt per כְּנִתְבָּה Car. Monent præterea נ

¶ planè illos omisisse, ut saecū Es. 14. v. ult. legerū **מְלָאכִי**
pro nuncii. Dicunt puncta deinde alia subjecisse, &
adjecisse terminationem græcam, inde illud pronatum **Κύριος**.
Hæ illæ Versionis LXX viralis hujus loci eruditæ expositiones
sunt. Nos h̄c observamus verissimum esse quod perhibent de
illius statu corruptissimo. Cujus rei ergo Clarissimi viri illam
antiquam superesse negant. Ita Schick. in **בָּה** disp. 3. p. 39. Prin-
cipaliter, inquit, ipsa versionis vitiositate hoc evinco, quam si quis
tam venerandis, & ex universo Dei populo selectissimis Senibus im-
pingit, næ is insigni Eos afficit injuriā. Nam XIII. tantum nec
plura legis loca, & certo quidem singula consilio mutasse leguntur,
cetera omnia fidelitate summa reddidisse, servato ipso quoq; verbo-
rū ordine, & penè etiam numero. Cumigitur non ista tantum XIII.
sed infinita ferè loca translata, ab originalibus suis plurimum di-
screpare videamus, clarissimè patet hodiernā Græcam falso LXXII.
Senibus attribui. Vid. etiā Walth. in offic. Bibl. p. 284. Calov. in
Crit. Sacr. nos corruptā illā dicimus, non abolitam, quod alibi
evictum. persvadent id testimonia, quæ à veteribus ex Versio-
ne LXX citata, & in nostris codicibus intemerata inveniuntur.
V. Glas. l. 1. tr. 1. de textū Ebr. purit. p. 41. Hotting. in Thes. phi-
lol. p. 354. seqq. ubi prolixissimè fontes Errorum LXX. viralis
Versionis adducit. Quæ quamvisita omnia sint, non tamen
facile persuadebitur mihi unā in voce **אֶבְרַךְ** tot errasse vicibus
Interpretes, vel Scriptores. Unicam legisse literam **א** scil. cæ-
teras mutasse, vel abjecisse, spuriisque substitutis punctis vo-
cem adulterasse ita probabile mihi non videtur. Immo negligi-
genti & oscitanti Scribarum turbæ id criminis tribui haud
potest. Ita n. ista lectio non in omnibus haberetur scriptis. U-
num sphalma τῆς ἀπλεψίας & oscitantiæ uno in exemplari cæ-
teris omnibus insertum esse studio, quâ veritate dicetur? Nos
hosce Interpretes vel humani aliquid passos h̄c esse voci in-
convenientem imponentes significationem, quod etiam alibi
fecerunt i. Sam. 25. II. **וְאַתָּה־מֵימִי** explicantes per **ὑπὸν οἶνον μου**,
ubi tamen **מֵימִי** aquam non vinum notat, ita Esa. 28. 4. **גֹּזֹא**
reddentes per **οὕτως**, dicimus: vel exprimere id aliquo voluisse
modo, cū genuina & certa vis nō adeo obvia fuerit. Ita redi-
derunt alias voces nullam aut Etymi aut genuinæ significatio-

nis ratione habitâ. Illam eniū fuisse Libertatem Interpretum videtur, ut parum de verbis solliciti sensum tantum in multis exprimere curarint. Vel afferendum erit, quod probabilissimum mihi, illam planè omisisse, quod vox Pæani Gentilium similis videretur, quibus cum versionem exarare debebant sedulo v. cavebant ne ullo offenderent verbo legentes; & in Idololatriâ confirmarent, cuius rei ergo & illud Gen. XI. vii. Descendamus, per Descendam reddiderunt in singulari, ne pluralem legentes numerum, putarent Judæos etiam plures adorare Deos, igitur neglexisse istam vocem neque explicasse nos putamus.

II. Vidimus haec tenus varias nostri verbi Expositiones. Alię quae proprius accedunt ad sensa rei jam explicandae sunt. Inter illas prima Ab. Esrae est, qui ^{tau} אָבְרָהָם primam esse putat futuri Hiphil numeri singularis, ut sensus dicti Mosaici sit: *Qui si-
que clamabat ante Eum, genua flectam.* Ita n. ille: **כָל־אָדָם וַיַּעֲשֵׂת חִזְקִיהָן אֶבְרָע לִפְנֵיו קָרָא וַיַּעֲשֵׂת כָל־
הomo clamabat ante Eum pro cumbam in genua, & adorabo. Et hujus quidem
temporis persona tertia sing. Gen. xxiv. II. occurrit **וַיַּעֲשֵׂת כָּרְךָנָה** i. e.
curavit ut flecterent genua Cameli. Sed iterum ista Expositio
minus apposita videtur. Neque enim deliberantis & consul-
tantis vox ista est; sed Imperantis. Nec spectatur hic illud quod
Populus fecit; sed quod fieri Pharaon curavit. Quae ex contextu
clara sunt. Recitantur n. hic quae à Pharaone ad cultum Iose-
phi pertinentia fieri imperata sunt.**

III. Duæ residuæ adhuc sunt, quibus præ cæteris palmam
probabilitatis adsignamus. Prima Buxtorfi est. Ita n. ille tum
in Gramm. suæ Thesauro l. i. c. 17. p. m. 136. Ad formam Chaldai-
cam inquit, habent נ loco אשכימים mane surgendo, pro
רשבים fer. 25. 3. אברך Genua flectere Gen. 41. v. 43. pro de quo di-
versæ sunt interpretum sententiae. Pro Infinitivo ex Kimchii sen-
tentia accipi potest, tum ob similem formam in אשכימים tum ob
structuram loci, in qua aliud Verbum Infinitum sequitur אברך וכתון
Genua flectenda esse, & dedisse sive constituisse Eum super o-
mnem terram Ægypti. Et in Lex. R. p. m. 90. ait אברך cße In-
finitum docet verbum continuo sequens, וכתון, tum etiam confir-
mat R. Jonah, ut Ab. Esra citat. Nempe regius praeco in Josephi in-

auguratione ante currum proclamavit. Flectenda esse genua omnibus coram Iosepho. Usque adeo dupli citetur argumento, excriptione altero petito, quod non raro, ut supra vidimus נ Chaldaicum sumatur pro ה, ex constructione altero, quod sequatur Infinitivus, qui duo per copulam connectantur. Sed dicunt τὸ ἦ h̄ic διτολογίαν habere potestatem, & dicere rationem τὸν אָבָרֶך. Verum reponimus concedendo Proteum illum varias habere significaciones, interim tamen primaria quæ connectionis illi est primo habetur loco. Manet etiam h̄ic copulandi potestas, quia ista dignitas præfecturæ cum altera τὸν γεννητεῖν conjungitur. Nec esse facile potest vox διτολογίαν. Abrech iussum regium erat, Lex erat atq; præceptum, cui monrem gerere habebant subditi, etiam præcepti causa non adjecta. Neque omnis legis fundamenta publicanda plebi sunt. Quare rationem dedisse Principem Pharaonem populo hujusse jussi quod cultum deferendum Iosepho genuum præcipiebat h̄ic mihi non persuadebitur. Cætera quæ contra hanc Buxtorffii sententiam proponunt Eruditi ad publicam servoventilationem. Neque etiam magni momenti & ponderis sunt. Deinde ad firmandam Buxtorffii sententiam istud quoque facit, quod haud raro Infinitivi Ebræorum in nominum naturam transeant. Conf. Gen. 38. 28. ubi לְרֹת parere pro, partus. & 1. Chron. 16. 36. ubi & dicat לִיהוֹת Amen. Amen & laudare i. e. laudem. ps. 101. v. 3. ps. 139. 2. &c. Ita דעת scire pro Scientia. Sic apud Latinos hanc vim habet. Hinc Persius: Usque adeo ne

Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter. Et Græci sæpe Infinitivō utuntur pro Nomine. V. Drus. ad diffic. loc. Gen. 113. c. p. 136. Glass. Gramm. p. 365. l. 3. tr. 3. c. 44. n. 5.

I V. Tandem alii iisque Eruditissimi Viri Futurum I. Hippel esse arbitrantur. Et hi quoque sine cortice haud natant vel iratâ Delia hoc in oceano, ut rivulos deducant inde feliciter, & servent. Primus inter istos B. Gerhardus in Comm. Genes. p. 722. q. 3. R. D. Kimchi inquit, אָבָרֶך putat scriptum pro בְּרַכְתְּךָ ut sit Imperativus Hippel à rad. בְּרַכְתְּךָ gennu Gen. 24. v. 11. ut sic clamaverit præ Eo, genu flectite. Hac sententia reliquis, ad-

dit, preferenda est. Subscribit huic Piscator, qui hoc ita reddit: Und man riss für Ihm her: Sieget die Knie. Ita Cl. Schindlerus sentit. Nec aliud docuit Amplissimus Vir, philologorum nostri ævi Gloria, Dn. Sennertus, præceptor & promotor noster benemeritissimus in Syr. Chald. pag. 48. Immo ipse quoque Arabs Interpres, quem Erpenius luci dedit, istud in imperativo reddidit. Habet vocem רכע quæ Cl. Schindler. Lex. p. 1738. flexionem genuum notat. Sed hi iterum, qui hanc sententiam fovent ratione significationis quæ τοῦ אָבָרְךָ est haud conveniunt. Alii n. per benedic, & iterum alii per genu flecte explicant. Prius Drusio placet, qui in qq. Ebr. l. 2. q. 71. p. 123. Quod originem attinet, inquit, posset etiam deduci à verbo בָּרַךְ ut sensus sit, & clamabant coram Eo, videlicet populus Ägyptiacus, Abrech i. e. benedic. Nam mos orientalium, cum præteriret Vir aliquis Sanctus, aut alioqui sapientie nomine clarus, ut ab Eo sibi benedici cuperent. Exemplum memorabile extat apud Hieronymi de Hilarione, cui quodam tempore Syria prætereunti gregatum cum Uxoribus & liberis ait obviam processisse Saracenos submittentes colla, & voce Syra Barach i. e. benedic inclamantes. Verum ut ut concedamus בָּרַךְ benedictionem significare nonnunquam, hic tamen eandem potestatem locum invenire non permittimus. Neque enim h. l. ostenditur. quid fieri Populo à Josepho debeat; sed contra, quō honore Præfectum Ägypti prosequi & venerari habeant. Deinde benedictionis in unus fermè apud omnes gentes rerum sacrarū Antistitibus, qualis Iosephus non erat, commissum fuit. Quod Ägyptios quidem spectat de illis Alexander ab Alex. Genial. dier. 14. c. 17. p. 225. b. Ägyptii Sacerdotes, inquit, immolata victimā caput absindunt, illudq; diris carminibus execrati in flumen dejiciunt, cum precatione solenni, ut si quid adversum casurum foret, in caput illud redundaret. Ipsa quoque genuum flexio non insolita Populis Orientalibus fuit. Venit illa alias nomine venerationis & salutationis apud Autores. Exempla in promtu sunt. Curt. 1. 5. c. 10. Darius, inquit, signo ad eundem dato, currum pristino more conscendit, Nabazanes, ceteriq; Parricide, pre cumbentes hn-

humī, quēm paulo post in vinculis habituri erant, sustinuere venerari: lacrymas etiam pœnitentiae indices profuderunt. Adeo humānis ingenii parata simulatio est. Ita Darii mater, ut apud Valerius legimus l. 4.c.7. in ext. 2. humī prostratum caput erexit. Et hæc Adulatio perfida fuit. Cujus non immemor Iustinus l. 1.c.X. refert ad hinnitum Equi Darii socios equis desilientes Regē novum fortunā favente creatum salutasse. Ritum hunc servitutem Persicam nuncupat Sen. l. 3. de Benef. c. 7. c. 12. Ita Ebræi procidebant ad Genua coram principe Viro. Vid. gen. xix. 2. c. xix. v. i. c. xxiii. c. 12. c. xxvii. v. 29. c. xliii. v. 26. II. Sam. xiv. 1. Et hic ipse mos ad Latinos & Græcos deinde transiit. Hinc Thetis Achilli arma apud Vulcanum petens inquit: Τούρετα νῦν τὰ (α) γόννας ἵνα ποιαί. Iliad. 5. f. Sic. Iliad. a. Thetis adprehendit genua sinistra Saturni. Credebatur enim & aures & religionem inesse pedibus. Inde Aristippus cum intercedendo pro Amico ad Dionysium nihil proficeret, genua Tyranni amplexus est. Quod lucem versui Homericō subministrat, qui legitur Iliad. p. f.

ἀλλ' οὐτοὶ μὲν ταῦτα θεῶν εἰς γόννασι κεῖται.

Cumque singulæ Corporis partes singulis Diis vel Deabus erant devotæ, Misericordiæ sacrabantur Genua. Scilicet Caput Iovi deferebant: Neptuno pectus: cinctum Marti: Frontem Genio sacram facit Servius: supercilia in Iunonis tutela fuisse ait S. Pompejus: Oculos Cupidini, in quibus excubet ceu specula, tribuit Philostratus: Aurem Memoriae: Dextra fidei sacra est. Dorsum & Postica plutoni propriè adscribuntur ab Artemidoro: Renes & Ingvina Veneri. Pedes & digitæ Mercurio: Tali plantævè in Thetidis potestate fuerunt. V. Rosin. l 2. & Alex. ab Alex. p. 85. gen. dier. seqq. Hominis genibus inquit, quādām esse religionē & pietatem novimus. Etenim supplicantes, & qui piè exorare aliquid volunt, Deorum hominumque genua amplectuntur, ad genua procumbunt, illaque tanquam sacra suppliciter venerantur & colunt, in his numen & sedem miserationis esse arbitrati. V. Ctis. ad Sen. Troad. v. 689. — ad genua accido supplex. Ita probatum non insolitam fuisse olim genuum flexionem. Quā ipsā primò im-

ple-

2323.99

pletū in Iosepho esse putamus, quod somnii prophetia prædixerat futurū ut ad Ejus genua procumberent Sol, Luna & Stellæ. Quatuor a. Verbis Hebræi honoris cultū describunt: **השתחוה** quod corporis totius prostrationem: **קרד** quod verticis inclinationem: **כרי** quod demissionem capitis cum superiore corpore usque in genua: **ברך** quod genuum inflexionem notat, ut tradunt Thalmudici in libro **שבועות** fol. 16. 2. Neque refragatur tādē huic explicationi **אברך** ipsa scriptio. Ut n. in antecedentibus monitum, **נ** & **ה** non raro ita permutantur. Nulla itaque necessitas requirit, quod ad Ægyptios peregrē eamus quæsitum id, quod rectius in nostris invenitur agris. Neque divellenda sunt temerè, quæ integra rem melius expeditam præstant. Neque tandem obscuritatis nube atque ignorantiae tenebris involvendum, quod lux Grammaticæ mirifice declarat. Et hæc in præsenti de hâc materia. Si erratum non tuebimur illud. Neque honesta illa pertinacia est. prudentes v. errantem oderint minus, ne & ipsi sibi aliquando sint odio.

DEO GRATIAS.

AD

Politissimum atq; Eruditissimum
DN. RESPONDENTEM,
Amicum honorandum.

Non est Sedulitas nitidâ sine Laude. Sororum
Nexus conjunctæ convenienter agunt.
Hinc labor & Virtus non squalent sorde pudoris.
Virtus fama probi non moritura Viri est.
Quos igitur fructus Praeconia clara Canopi,
Propriatio IOSEPHI sunt paritura Tibi?
Praeco alios sistens Plebi, se publicat ipsum:
Sic Ea IOSEPHI sunt quoq; Praeco Tuus.

L. M. Q.

f.

PRÆSES.

Aug VI 15

ULB Halle
003 865 746

3



Sb.

Rutho

TD 17

KD 18


E



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



67
70.
אָבִרְבָּן
i.e.
De
O JOSEPHI A.
PTIACO
XLI. comm. 43.
PHILOLOGICA.
Qvam
ÆSIDE
CO VICCIO, SIL
t. Philof. Adjunct.
ditorum discussioni
exponit
CHIMUS BURMEISTERUS
burg. P. L. C.
i. Januar. A. E. Ch. c Ic Lc LVII.
TEBERGÆ
JANNIS HAKEN.

